

in folio Evang. currentis illum osculatur adjuvante presbytero assistente.

Caer. Ep. I. II. c. VIII. n. 33.

b. In Missa de Requ. et in Parasc.

Cf.: *Oscul. man. Ep.* (in missa de Requ.)

Episcopus (assist.) non osculatur textum Evang. in Parasceve.

Caer. Ep. I. II. c. XXVI. n. 2.

Episcopus accedet ad altare finita confessione (in missa defunct.) et non osculabitur librum sed altare tantum.

Caer. Ep. I. II. c. XI. n. 4.

Finito Evangelio Episcopus non osculabitur librum.

Ibid. n. 6.

c. Missalis a Laicis.

Liber Evangelii celebrante Episcopo nulli etiam magno principi aut praelato missae privatae praesenti datur osculandus post lectum Evangelium, sed si adesset aliquis maximus princeps vel Cardinalis, cui liber Evangelii osculandus porrigendus esset, non utique liber Evangelii, quo utitur Episcopus, sed alius liber consimilis illi porrigatur.

Caer. Ep. I. I. c. XXIX. n. 9.

Cf.: *Evang.*

9) Modus osculandi.

Quoties aliquid offertur Episcopo, Celebranti aut Legato, qui rei divinae intersint, ac etiam cum aliquid ab eis recipitur, toties osculanda est res, quae offertur, ac deinde manus recipientis et cum ab eisdem aliquid recipimus, primo manus deinde res, quae recipitur.

Caer. Ep. I. I. c. XVIII. n. 16.

Vd.: *Oscul. parament.*; *Purificat. B. M. V.* (Modus etc.; Quis porrigit. etc. ?); *Oscul. manus Ep.* (In Aspers. etc.); *Thus* (Modus etc.); *Navicula*; *Ordinatio ad Presbyt.* (Osculum.)

10) Paramentorum

(Episcopi).

Primo offerunt (Diaconus et Subd.) Episcopo *amictum* osculandum in medio, ubi est designata parva crux, quam in parte prius osculatur etiam Diaconus.

Caer. Ep. I. II. c. VIII. n. 12.

Diaconus sumpta *cruce pectorali* eamque etiam in parte prius osculatam ipsi Episcopo osculandam praebet. *Stolam* deinde etiam in parte deosculatam Episcopo deosculandam offert.

Ibid. n. 14.

Demum (imposita mitra) imponitur per presbyterum assist. *annulus pontif.* annulari digito dexteræ manus Episcopi, annulo prius et manu postea deosculatis.

Ibid. n. 22.

11) In Parasceve.

Unus ex Beneficiatis cotta indutus dicit primam prophetiam in loco, ubi legitur epistola et sine osculo manus Episcopi.

Finita Epistola Subdiaconus absque osculo manus Episcopi resumit planetam.

Caer. Ep. I. II. c. XXV. n. 12 et 15.

Vd.: *Planeta plic. Diaconi et Subd.* etc. (Quando dep.); *Passio* (Cantor).

Finito Evangelio (in Parasc.) Diaconus cum aliis, qui secum erant, factis debitis *reverentiis*, revertantur ad loca sua.

Ibid. n. 19.

Episcopus non recipit osculum manus ab aliquo nec ipse osculatur textum Evangelii (in Parasc.).

Ibid. §. XXVI. n. 2.

Celebrans extrahit (in Parasc.) *SSmum* de calice et ponit super patenam, quam Diaconus sine osculo offert Celebranti.

Ibid. n. 18.

12) Coram SSmo exposito.

I. Omittendum.

Vd.: *Instr. Cl. §. XIX. n. 11., 13., 20.; §. XXIV. n. 17.; §. XXX. n. 8., 21., 23.*

Episcopus (Fer. V. Coena D. SSmo in altari remanente) ad sedem stans ponit incensum absque bened. et sine osculo manus Episcopi. — Diaconus stans offert Episcopo genuflexo *SSmum* sine osculo. — Diaconus recipiet *SSmum* sine osculo manus Episcopi.

Caer. Ep. I. II. c. XXIII. n. 11—13.

Vd.: *SS. Sacram.* (Quis porrig.)

Finita missa in festo SS. Corp. Chr. (SSmo patente super altare) Episcopus imponit thus ministrante presbytero assistente absque osculo manus et cochlearis.

Ibid. c. XXXIII. n. 19.

Quando ipsum *solum* *SSmum* sit thurificandum, nunquam debet ab Episcopo neque ab alio thus benedici, sed simpliciter poni in thuribulum et porrigitur sine osculatione manus Episcopi.

Ibid. I. I. c. XXIII. c. 18.

II. Non Omittendum.

Vd.: *Instructio Clem. §. XXX. n. 14.*

OSTENSORIUM.

1) Benedictio.

Vd.: *Bened.* (suppell.)

2) Forma, Origo.

Vd.: *Instr. Clem. §. V. n. 7—14; Origo: Ibid. §. XXXVI. n. 9 etc.; Crux in Ostensorio*, vd.: *Rosarium B. V. M.* (ritus; decr. n. 5112); *Velum super Ostensorium.*

3) Quis et quo modo porrig. Celebr. et recipit?

Permittendum non est tradi Ostensorium a Magistro Caeremoniarum in manus Canonici impertituri benedic-

tionem cum SSmo. n. 4434 ad 3 die 27. Maii 1788.

Vd.: *Diaconi ass.* (porrig. *SSmum*, nota); *Instructio Clem. §. XIX. n. 14; §. XXIV. n. 1 etc. 5 (recipit Diac.)*

4) Quando defert. in processione?

Vd.: *Instructio Clem. §. XIX. n. 14.*

OSTIARIATUS.

Claves.

Cf.: *Ordines Minores.*

Ad dubium: Quando Ostiarius, Archidiacono comitante, claudit et aperit fores Ecclesiae, debetne claudere et aperire etiam cum Clavi, praesertim si in foribus Oratorii, ubi confertur Ordo, non adsit Clavis?

S. C. resp.:

„Non est stricte necessarium.“

N. 4669 ad 5 die 12. Novb. 1831.

Ad dubium: In Ordinatione Pontifex tradit Ostiariis *claves Ecclesiae*. In Oratorio, seu Ecclesia, quae unam tantum habeat clavem, haec una clavis estne sufficiens pro materia remota Ostiariatus?

Et S. eadem R. C. ... respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet:

Quamvis una clavis esse possit materia sufficiens pro Ordinatione Ostiarii, servandam tamen esse Rubricam, quae praecipit *claves esse tradendas*, quae sive argenteae sint sive ferreae sive lignae, dummodo aptae sint ad aperiendum, constituunt materiam remotam hujus Ordinis.“

Atque ita statuit et decrevit die 11. Martii 1820. n. 4565 ad 7. 1mo.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM:

Tam clare et dilucide suum pro veritate super hoc quaesito et duobus

sequentibus votum aperuit cl. vir *Johannes Canonicus Fornici, alter ex Sedis Apostolicae Caeremoniarum Magistris et Cong. Caeremonialis a Secretis*, ut iis, quae ab eodem scite docteque allata sunt, frustra aliquid adjicerem. De primo agens quaesito sic inquit: „Cum a priscis Ecclesiae Saeculis, ut patet ex *Con. Carthag. 10. Canon. II.*, Clavium traditione initiuntur Ostiarii, qui in Hierarchia Ecclesiastica primum gradum constituunt et quos quam antiquos fuisse in Ecclesia Romana docet nos egregie illa *S. Cornelii Papae Epistola ad Fabium Episcopum Antiochenum* apud *Eusebium lib. 6. cap. 43. Historiae etc.*, recte praescribit Pontificalis Rubrica, ut pro ipsis ordinandis Ostiariis Ecclesiae claves parentur. Sunt enim claves signum potestatis spiritualis, quae confertur Ostiariis, de quorum munere agit *S. Isidorus Hispalensis De Officiis lib. 2. cap. 15.* Eorum quippe est aperire et claudere Ecclesiam, res ad eam pertinentes custodire, Fideles admittere, Infideles et Excommunicatos modeste repellere, convocare Populum ad praestandum Deo cultum et Foeminas ab Altari, in quo celebratur, discrete arcere. Jam vero, si quae ab Ostiario custodienda sunt, non pluribus clavibus sed una tantum recluduntur, si Ecclesia vel Oratorium una tantum clavi aperiatur et claudatur, ii praesertim, qui sequuntur sententiam aliquorum Doctorum, inter quos recensetur *B. Alphonsus de Ligorio*, profecto tenere debent unam tantum clavem Oratorii vel Ecclesiae materiam esse sufficientem pro Ordinatione Ostiariorum. Legitur enim in *examine Ordinandorum* ex ejus doctrina desumpto *cap. 3. art. 2. sect. 1. de Ostiariatu: Quod Claves in Ordinatione Ostiarius esse debent propriae Ecclesiae nec possint aliae substitui: igitur si claves tradendae de-*

bent esse propriae Ecclesiae nec aliae possunt substitui in Oratorio vel Ecclesia, quae unam tantum habet clavem, aut nemo ordinari potest in ea Ostiarius aut in ejus Ordinatione una tantum clavis eidem est tradenda. Et fortasse Episcopus Orator tenet et ipse quod revera, dum Ostiarius Ordinem confert, debeant parari et in promptu esse *claves Ecclesiae, in qua tenet Ordinationem.*

Verum Ostiarii non ordinantur pro aperienda Ecclesia eaque claudenda et custodiendis iis omnibus, quae in eadem custodiuntur, in qua ordinantur. Non enim ordinantur Ostiarii pro una tantum Ecclesia, sed traditione clavium designantur et constituuntur in Ordine Ostiarius, pro quibuscumque aperiendis et claudendis Ecclesiis ac pro aliis muneribus perfungendis in quacumque Ecclesia.

Hinc est quod Theologi fere omnes tenent, pro clavibus Ecclesiae, quae juxta Rubricas parari debent, quasque debent Ostiarii tangere, non designari claves Ecclesiae proprias, sed quascumque claves, dummodo aptae sint ad aperiendam et in praxi hoc ab omnibus Episcopis in Ordinatione Ostiariorum servatur. Nec obstat, quod in traditione clavium, quae non sint propriae Ecclesiae, non amplius verificentur verba, quae proferuntur ab Episcopo agente: *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur*: Nam claves, quae traduntur Ostiariis, sunt *signum demonstrativum* jurisdictionis aperiendi, claudendi quascumque Ecclesias et custodiendi, quae in Ecclesiis custodiuntur, non *taxativum* ad ea tantum custodienda, quae traditis clavibus recluduntur. Traditio potius unius clavis aliquo modo obstaret praedictis verbis, quae in numero plurali exprimuntur, non in singulari.“

„Quibus positis, quamvis signum demonstrativum Jurisdictionis, quae confertur Ostiariis, tam una clavis quam plures efficiant, ac propterea non dubitarem, unam tantum clavem esse materiam sufficientem pro Ordinatione Ostiariorum; cum tamen hoc signum sit *indicativum* Jurisdictionis pro quacumque Ecclesia, non *taxativum* pro ea, in qua ordinantur, et multo magis, ne ex affirmativa responsione hujus S. C. ad propositum dubium deducatur et confirmetur aliquorum opinio, quod claves tradendae debeant esse propriae Ecclesiae, nec possint aliae substitui, unde in Oratorio seu Ecclesia, quae unam tantum habet clavem, haec sola tradenda sit, respondendum censerem: *Quamvis una clavis posset esse materia sufficiens pro Ordinatione Ostiarius, servandam tamen esse Rubricam, quae praecipit, claves esse tradendas, quae sive argenteae sint sive ferreae sive lignae, dummodo aptae sint ad aperiendum, constituunt materiam remotam hujus Ordinis.*“

Ad dubium: Ostiarii debentne *singuli successive* tangere Claves? Sufficientne *simul* tangere et non successive et super duos vel tres aut quatuor simul tangentes materiam proferre formam Ordinationis?

Et S. eadem R. C. ... respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet:

Affirmative ad utramque partem; dummodo qui simul ordinantur Ostiarii tangant manu dextera claves, dum Episcopus profert formulam.

Atque ita statuit et decrevit die 11. Mart. 1820. n. 4565 ad 7 2o.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Pergit ad secundam Dubii partem inquit: „Clara est quoad secundum dispositio Rubricae. *Pontifex accipit et tradit omnibus claves Ecclesiae, quas successive manu dextera singuli tangunt Pontifice dicente: Sic agite quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur.* Claves ergo non accipiendae sunt successive ab omnibus, sed omnibus tradendae ab Episcopo, ut singuli Ordinandi illas tangant manu dextera. Quotquot ergo eodem tempore possunt tangere claves, possunt eodem tempore ordinari Ostiarii Pontifice dicente: *Sic agite etc.* Et quoniam impossibile est, quod, si permulti sint Ostiarii, omnes tangant claves, quas tradit Episcopus, hinc est, quod eodem tempore ordinari possunt, ut fit in Patriarchali Lateranensi Basilica, duo vel tres, qui simul tangunt claves, de novo repetita forma super alios successive tangentes.“

P.

PALLA.

1) In Communionem administr.

Vd.: *Bursa in communionem* (delatio, decret. n. 5068 ad 4).

Decreta authentica. Tom. II.

2) In Expositione s. Reliquiae.

Ad dubium: An sub Reliquia aliqujus Sancti exposita publicae venerationi inter Candelabra debeat ad-